Numerus 7 - Anni II
:: :: Iulius 1925 :: ::

Roma (30) - Via S. Nicola da Tolentino, 8

ACIES ORDINATA

EPHEMERIS MENSTRUA
NOSTRIS DIRECTORIBUS
CONGREGATIONUM B.M.V.

OBLATA A SECRETARIATU
CENTRALI CONGREGATIONUM B. M. V. :: :: ::

Manuscripti instar, ad usum Nostrorum tantum

Aestivo tempore **ACIES ORDINATA non mittetur. *Sequens igitur noster numerus* mense Octobri *demum prodibit.***

Inscriptio Editoris non iam est: **Via degli Astalli, *sed*: 8, Via S. Nicola da Tolentino, Roma 30.**

De foederibus Congregationis nationalibus et internationali

Articulo nuper hac de causa edito adiungimus nunc animadversiones alterius cuiusdam Patris multum in re sodalitia versati. Sunt in eius articulo res, quae consonent omnino cum nuper dictis (pg. 33 sqq.), et sunt, quae satis discrepent ab iis, quae nos protulimus. " Audiatur et altera pars "...

Foederationes Sodalitatum tam nationales quam internationales, quin videantur admodum opportunae et ad rem Marianam promovendam apprime utiles, nemo certe est qui dubitet.

Praeterquam enim quod statuta Congregationum generalia, a p. m. Rev. Patre Francisco Wernz a. 1910 approbata, sub num. 68 id aperte innuunt, ratio quoque ipsa et aliarum societatum experientia manifesto edocent, fieri non posse, ut arctior inter se tot Sodalitatum in universo orbe existentium coniunctio spiritum illarum non corroboret, vires non augeat, labores non plurimum adiuvet et perficiat. Si numerosissimae illae ac propemodum infinitae Sodalitates, quae hodiedum fere disgregatim Christo et Sanctissimae Eius Matri militant, societatem inirent vere validam, vere vivacem et arcte cohaerentem : non posset inde non exsurgere bene ordinata illa « castrorum acies », quae ad exemplar Dominae suae caelestis « terribilis » esset inimicis Dei. Ecclesiae vero Christi in quovis campo pugnae ac laboris omnino utilissima et salutaris.

Verum ut foederatio ista Sodalitatum optatos fructus revera gignat, manifesto prorsus instituenda est valde maturo consilio, ratione habita cum propriae Congregationis naturae, tum multiplicis illius experientiae, quam longa Sodalitatis historia et recens eiusdem splendidissimus profectus abunde subministrant. Compertum quippe est societates non paucas ideo potissimum vixdum inchoatas periisse, vel vitam duxisse insanabili languore inertem, quod a principio non bene conditae, vitio a nativitate contracto liberare se deinceps diu nequiverunt.

Dissertatiuncula praesens huc tantummodo spectat, ut consultationibus de foedere Sodalitatum novam materiam suppeditet. Non aliud proinde praestare intendimus, nisi suprema instituendae foederationis lineamenta adumbrare et sic utcumque proludere concinnandis accurate illius statutis.

I

Itaque, ut ad particularia deinceps descensuri, a generalioribus sumamus exordium, istud in primis censemus esse perspicuum (quod requiritur, ut magnum opus Marianum promoveri efficacius et dirigi consonantius possit) : foederationem esse proprii nominis, quae vinculis verae societatis Sodalitates singulas invicem obstringat, quae e. g. mera communione precum vel mutuo litterarum commercio non absolvatur. Haec quippe, licet utilissima sint et ex parte iam usitata, per se sola nequaquam satis esse videntur ad magnos illos fines obtinendos, quos foederatio Sodalitatum intendit.

Sed porro manifestum est, veri nominis societatem existere nullatenus posse sine s. d. organisatione, seu sine multiplici centralium organorum oeconomia, quae sibi invicem cohaerentia et harmonice subordinata, iuncturas quasdam subministrationis constituat, unde etiam magnum corpus Marianum « crescere possit in augmentum Dei, aedificationem sui faciens in caritate ».

Considerandum itaque est, quaenam eiusmodi

centralia organa singulis Sodalitatibus invicem uniendis idonea esse possint.

Ac primo quidem sua veluti sponte occurrit cogitatio de *periodicis illis regionalibus vel internationalibus Moderatorum et de delegatorum congressibus,* quorum ope recenti praesertim tempore tanta tamque felicia cepit res Mariana incrementa. Nihilominus ad eum finem, qui foederationi Sodalitatum praelucet, congressus istos per se sufficere posse non censemus. Praeterquam enim quod generalia Congregationum statuta seorsim de foederatione, seorsim de conventibus agunt, ac per hoc innuere videntur diversas utrisque competere functiones, sine permanenti et continuo influxu, qualem periodici congressus exercere manifesto non valent, veram et strictam societatem existere posse vix putamus. Organa proinde centralia, per quae Sodalitates individuae ad altiorem unitatem reducantur, arbitramur *stabilia esse oportere*, consilia videlicet, sive secretariatus, sive alio nomine nuncupandos electorum membrorum permanentes circulos, quorum infra describendus influxus in Sodalitates singulas vel earum associationes continuo dimanare possit.

Istorum porro consiliorun distinguenda esse censemus tria genera seu potius *tres gradus*, respondentes todidem veluti contignationibus, e quibus integrum foederationis aedificium consurgat.

Ac primun quidem seu infimum gradum constituerent *consociationes* et correspondentia consilia illarum Sodalitatum, quae non modo communione *eiusdem linguae,* se identitate *sexus ac status seu condicionis* membrorum naturalem ad invicem cognationem habent. Experientia quippe compertum sit, eiusmodi uniones, sicut naturae Sodalitatis optime respondent, ita facillime et efficacissime iniri. Pluribus siquidem in locis Sodalitates virorum, feminarum, ludimagistrorum, studiosorum et ita porro, suas iam condiderunt consociationes, quae egregie vigent et utilissime laborant, dum e contrario aliae Sodalitatum uniones, sine respectu ad sexum et condicionem Sodalium institutae, e. g. mere dioecesanae vel mere locales, saltem sub aliquo respectu minus proficiunt.

Ex isto primo gradu aperta est via ad secundum, altiorem, ad constituendas nimirum, cum correspondentibus consiliis, *foederationes simpliciter nationales*, quorum membra seu elementa essent non iam individuae Sodalitates, sed supra memoratae illarum associationes, secundum sexum et statum membrorum coadunatae.

Licet enim facile videatur, idem principium unionis, quod supra applicatum est, identitatem scl. sexus et status, extra limites nationum extendi immediate posse, ita ut e societatibus nationalibus Sodalitatum virorum, feminarum, iuventutis et ita porro, sine ullo intermedio gradu, oriantur eiusdem generis foederationes internationales — modus iste, quamvis in aliis societatibus interdum usitatus, in re nostra non videtur esse adhibendus. Utut enim societates Sodalitatum cultioribus membris constantium satis facile fortasse superarent difficultates, quae cuivis unioni internationali inhaerent, Sodalitates simpliciorum hominum, quarum multo maior est numerus, difficultatibus illis superandis pares fore non videntur. E contra intra limites eiusdem nationis, ubi nec commeatus adeo impeditus est, nec linguae, genii, condicionum vitae diversitas obstat, societates Sodalitatum etiam simpliciorum ab unione secundum sexus et status ad unionem simpliciter nationalem facili negotio transirent.

Supra hunc demum secundum gradum consurgeret tertius, qui esset totius operis centrum et corona, *foederatio* videlicet, cum correspondenti consilio, *simpliciter internationalis*, quae *omnes consociationes* supra memoratas ad quandam unitatem reduceret et per subordinata sibi organa influxum suum extenderet ad infimas etiam cellulas magni organismi Mariani.

II

Sed hisce manifesto non nisi exterior structura instituendae foederationis adumbrata est. Ut ratio internae eius vitae clarius elucescat, videndum porro est, quaenam centralibus eius organis (i. e. supra memoratis sive secretariatibus sive consiliis) erga respectivas associationes competat activitatis sphaera et influentiae modus.

Functionem consiliorum, quae sive singulis Sodalitatibus, sive illarum consociationibus praesunt, non posse consistere in proprie dicto regimine seu iurisdictione, perspicuum esse arbitror. Ex una quippe parte Congregationes omnes suis iam legitimis Superioribus subiiciuntur, quorum auctoritas per leges ecclesiasticas et per generalia Sodalitatum statuta extra omnem quaestionem posita est, ex altera vero parte, intra limites debitae huius subiectionis, independentia quadam congregationes singulae opus habent, ut iuxta modum suum evolvi et laborare commode valeant. Sed etsi proprii nominis iurisdictio consiliorum in subiectas sibi Sodalitates excludenda esse videtur, aperta illis est via alius et quidem multiplicis actionis aeque necessariae ac salutaris.

Actionem vero illam trina potissimum directione gubernari oportet, ut sit in primis *informativa* quoad omnia quae ad vitam et labores Sodalitatum pertinent, ut deinde in subiectas sibi associationes *vigilantiam quandam* exerceat, ne per defectum vel excessum a proprio Sodalitatum tramite deflectant, ut demum tertio *propagationi et pleniori Sodalitatum organisationi incumbat.*

De singulis iam pauca.

III

Ac primo quidem ad functionem *informativam* quod attinet, manifestum plane est, campum in quo ea exerceri utiliter possit, propemodum esse infinitum. Sive enim dubia circa regulas et ius Sodalitatum dissolvenda erunt, sive novae ideae suggerendae, sive novi agendi modi indigitandi, sive centenae practicae quaestiones elucidandae — vix umquam deficiet materia, de qua Sodalitates edoceri opportune possint.

Vigilantiam porro circa Sodalitates sibi subordinata adhibere poterunt concilia duplici potissimum ratione. In primis accessui ipsi ad consociationes in triplici supra descripto gradu constitutas, apponi poterit haec condicio, ut particularia sive individuarum Sodalitatum, sive illarum associationum statuta respectivis consiliis examinanda et approbanda proponantur.

Hac quippe via ex una parte occurretur periculo satis iam imminenti, ne Sodalitates quaedam diversum a nativa sua indole characterem diversumque colorem sensim assumant, ex altera vero parte nullum independentia Sodalitatum praeiudicium creabitur, cum ex ipsarum arbitrio dependeat foederationi nomen dare.

Aliud vero eiusdem vigilantiae exercitium hoc esse poterit, ut centralia illa organa a respective sibi subordinatis vel Sodalitatibus vel illarum unionibus semel in anno exigant accuratam de statu rerum suarum *relationem*, quae utique relatio occasionem praebebit sive animadversionibus faciendis dandisque consiliis, sive admovendis stimulis, ubi necessaria esse videbuntur.

Tertia demum functio *organisatrix et propagatrix* declaratione vix indiget, ad consilia enim respectiva spectabit sive ortum novarum Sodalitatum novarumque unionum promovere, sive conventus cogere, sive communem in aliqua publica causa actionem Sodalium inchoare et dirigere, sive denique alia id genus praestare, quae ad profectum totius operis iudicabuntur fore opportuna.

IV

Quodsi iam ulterius ad personas descendendum est, quae in praedictorum consiliorum seu secretariatuum compositionem venire debeant, triplex supra memoratus istorum circulorum gradus aliis et aliis elementis componi postulare videtur.

In *infimo gradu*, qui individuas Sodalitates iuxta membrorum sexum et condicionem coniungit, consilium centrale sic componendum esse arbitramur: Natus consilii praeses esset Moderator Congregationis respectivi status in illo loco existentis, in quo centrum ipsum sedem suam habet. E. g. si pro centro unionis Sodalitatum ludimagistrorum eligitur Vindobona vel Cracovia, Moderator Congregationis ludimagistrorum ibidem existentis esset natus praeses centralis consilii. Si porro status ille Sodalium habet proprium periodicum organum Sodalitatis (ut e. g. existunt alicubi propria folia periodica pro Sodalitatibus studiosorum, puellarum, magistrorum etc.). redactor huius periodici esset alterum membrum respectivi consilii, eoque magis necessarium, quod proprium periodicum optima est via ad intimandas Sodalitatibus unitis decisiones vel quascumque communicationes consilii. Accederent tamquam consultores duo Praefecti respectivarum Congregationum, alter localis, alter ex urbe viciniore, et demum duo membra ad munus secretarii et thesaurarii e Conregatione electa.

Praeses consilii nationalis deberet esse aliquis egregius Moderator a Praeposito respectivae provinciae Societatis nostrae designatus, cui accederent in primis redactor illius periodici, quod in illa lingua censetur esse praecipuum ac quodammodo officiale organum Sodalitatum, deinde quatuor Paefecti Sodalitatum e praecipuis illarum statibus tamquam consultores, denique secretarius et thesaurarius per electionem cooptati.

Supremum tandem consilium, quod sedem suam utique Romae habere deberet, sic fere componendum esse videtur: Praeses eius esset Pater aliquis rerum Sodalitatis apprime studiosus et peritus, a Praeposito Generali Societatis Iesu nominandus; hoc est: Director Secretariatus Centralis; accederet Moderator Congregationis Primae Primariae, quae omnium aliarum mater est caput; porro alius Pater, qui esset Sodalitatis generalis historicus et archivista; Praefectus Congregationis Primae Primariae et tres alii Praefecti Sodalitatum e praecipuis statibus tamquam consultores, denique duo secretarii unusque thesaurarius e Congregationibus localibus apte electi.

Quaestiones plurimas magis particulares, quae circa ideam huius organisationis moveri possent, interim non tango, sed haec brevissime animadverto, inprimis modum consultandi in omnibus praedictis consiliis eum aptissimum videri, qui in consiliis individuarum Sodalitatum usitatus est; deinde secretarios consiliorum saltem nationalis et supremi debere esse stipendiatos et non mere honorarios, quo liberius muneri suo vacare possint; denique pecuniam ad sustentationem singulorum centrorum necesariam facile cogi posse modica Sodalitatum earumque unionum contributione.

V

Sed hisce et aliis bene multis praetermissis, praeoccupandae videntur *duae difficultates*, quae eiusmodi qualem descripsimus foederationi opponi possunt.

Prima, quae iam alicubi valde pulchra initia

consociationis Sodalitatum ad nihilum reduxit, haec est : quod videntur hoc pacto quasi diversi gradus dignitatis inter Sodalitates earumque Moderatores introduci, nam Sodalitatibus in centro respectivarum unionum existentibus tribuuntur prae ceteris variae praerogativae cum honoris tum amplioris influxus, id quod aliis offensioni esse poterit.

Equidem nihilominus huic difficultati magnum momentum tribuendum esse non arbitror. Ex una enim parte satis supra innuimus non agi de proprie dicto regimine a quibusvis consiliis in individuas Sodalitates exercendo, sed de praestandis informativa ratione variis adiumentis, ad promovendam vitam Congregationum idoneis ; ex altera vero parte aliqua disparitas graduum ab omni organisatione inseparabilis est.

Quod vero in nostro schemate disparitas illa in favorem cedit Sodalitatum et Moderatorum in respectivis centris existentium, id naturale prorsus et necessarium esse censemus. Praeterquam enim quod in eiusmodi maioribus centris et vita intellectualis ac religiosa plenius vigere, et media plura praesto esse solent ad ampliorem activitatem exercendam idonea : nemo non videt ad consilia foederationis, si semel permanentia esse debere iudicantur, eos praeprimis assumi oportere, qui in loco stabiliter adsunt. Si enim ad quamlibet consultationem habendam convocandi essent delegati e locis interdum valde dissitis, manifesto prorsus tam raro consultationes institui possent, ut practice rem sumendo, centralia illa foederationis organa finem suum nullatenus assequerentur.

Ceterum vero timorem, ne magna militia Mariana illius subordinationis capax non sit ad Dominae suae gloriam, quam tot aliae societates ob fines mere naturales opere exercent, putamus esse vanum et in Sodalitates quasi iniuriosum. Quodsi hinc inde simultas aliqua pro humana fragilitate exoriatur, nova inde petitur ratio, ut centralia foederationis organa tam apte sint electa, ut prudentia et caritate componere dissidia possint.

Altera difficultas fortasse maioris est momenti : dubitatur videlicet a quibusdam de *modo*, quo tanta tamque complexa organisatio *introduci valeat*, in Sodalitates adeo numerosas et, quod proh dolor fatendum est, non mediocriter discrepantes.

Attamen ne hanc quidem quaestionem censemus esse insolubilem, immo vero nec adeo gravem, dummodo res sub opportuna luce consideretur et proponatur.

Non agitur scl. de Sodalitatibus singulis violenter et quasi uno ictu redigendis ad istius foederationis quadrum. Organisatio siquidem, quae extrinsecus obtruditur et non ex ipsa respectivae societatis evolutione sensim efflorescit, a principio ipso praefert decretum mortis vel insanabilis languoris. Quod ergo in praesens circa rem nostram facto opus est, huc tantummodo redit, ut *idonea aliqua ratione disponantur Sodalitates ad organisationem illam* non tam admittendam, quam potius ex sese ipsis emittendam, sicut arbor dum crescit sponte sua ramos et ramusculos emittit.

Iam ad istum finem *duplex ducere videtur via*, altera *e peripheria*, altera e *centro* procedens. In primis promovendae sunt omni modo associationes illae, quae velut primam contignationem totius foederationis constituunt, *uniones nempe Sodalitatum secundum statum et sexum membrorum*. Difficultas huius rei non est valde magna, quia idem sociandorum hominum principium in multis aliis societatibus adhibetur et probatae efficaciae est. Postquam vero eiusmodi uniones Sodalitatum saltem quatuor vel quinque in aliqua natione institutae et bene consolidatae fuerunt, procedi sensim poterit ad condendam auctoritate alicuius congressus Moderatorum et Sodalium foederationem simpliciter nationalem. Animi ad hoc opportune disponentur partim per rei frequentem expositionem in organis periodicis Sodalitatum vel etiam specialibus opusculis et foliis, partim per exempla illarum Sodalitatum, quae unioni primae accedent. Quin tandem nationales istae foederationes ad hoc sponte sua tendant, ut unionem eiusmodi ineant, quae civitatum fines excedat, dubitari vix potest, nam unius naturae societates ad unum quoque centrum naturaliter propendent.

Sed praeter hanc viam, quae e peripheria ad centrum ducit, censemus adhibendam esse et alteram, quae e converso *a centro* ipso procedat. Videtur quippe nobis non uno nomine opportunum, ut Romae apud Secretariatum nostrum Centralem sine mora instituantur saltem prima aliqua rudimenta futurae foederationis. Antea videlicet praeter vinculum aggregationis, quo Sodalitates cunctae devinciebantur matrici, et praeter ligamen statutorum generalium editorum pro Congregationibus penes Ecclesias Societatis Iesu existentibus, non habebantur nexus ulli, quibus magna familia Mariana stipiti suo socialiter adhaereret, quia nec ullum existebat organum centrale, quae vitali influxu omnia membra uniti sibi corporis attingeret. Gaudemus itaque summopere, quod instituto Secretariatu Centrali institutum est Romae etiam initium quoddam permanentis consilii, cui munus incumbet promovendi evolutionem rei Marianae per opportunas informationes, quae sive ad ius Sodalitatis declarandum, sive ad praeteritam et praesentem eius historiam elucidandam, sive ad varias practicas quaestiones discutiendas spectarent.

Evoluto igitur huic consilio centrali officium incumbet diligentissime concinnare futurae foederationis statuta et sic viam sternere magnae illi

unioni, tam Sodalitatibus, quam Ecclesiae Dei tantopere exoptandae.

Medium autem, quo centrale hoc consilium influxum suum exerceret, esset periodicum aliquod organum, pro solis Congregationum Moderatoribus (non solis Nostris) iuxta Aciem Ordinatam latina lingua evulgandum. Quin ope eiusmodi periodici rei Marianae magna emolumenta accessura sint, dubitari vix potest. Potissimus vero eius fructus esset illa adeo necessaria reductio Sodalitatum ad maiorem uniformitatem et pleniorem solidaritatis sensum, quae est optima dispositio ad unionem internationalem costituendam.

***

Nota Editoris : Plurima, quae hic exhibentur, etiam nobis egregie placent. Utique Congregationes plenam vim suam tum demum exercebunt, cum pacto foedere atque viribus quodammodo unitis in agmen descendent.

Attamen unum est obstaculum, idque nimis grande : quod nimirum ne Nostri quidem omnes aeque de Congregationibus sentiunt nec semper tales Congregationes dirigunt, quae aliis exemplo aut imitationi praefigi possint. Primus igitur ad omnem ulteriorem evolutionem gradus est : ut Congregationis idea et usus saltem *inter nos ipsos* universaliori modo evolvatur, ut nos ipsi hac in re idem velimus, idem dicamus. Secus alios quoque male ducemus et ambo in foveam cademus. Haec est etiam ratio, cur nondum discendendum esse censemus a consilio, ut Acies Ordinata interim *solis Nostris* edatur. Aliquibus in Provinciis novus certe vigor Congregationum nostrarum Moderatores ab instituto Secretariatu Centrali replevisse cernitur ; alibi tamen omnes nostrae melodiae quasi musicae incomprehensibiles ab auribus repelli videntur.

Speramus tamen fore, ut paulatim ubique optima consilia praevaleant et ut ille, qui multos ex optimis quoque a Congregationibus magis fovendis adhuc retrahit : inadaequatus Congregationis conceptus, paulatim iustiori considerationi locum cedat. Tum reliqua facilius operi mandabuntur.

Non sufficit hodie solos eos curare, qui sponte veniunt ad sacerdotes, sed quaerere oportet vias, quibus ad oves perditas perveniamus.

Non sufficit ad oves perditas recuperandas nos ipsos laboribus quantumvis magnis sacrificare, sed apostoli laici sunt adhibendi, qui nos adiuvent et etiam ad illos perveniant, ad quos nos nunquam pervenimus.

Non sufficit bonos Catholicos generali quodam modo ad apostolatum hortari, sed eos educare, formare, constanter exercere nos oportet tam in virtute, quam in religionis scientia, et in methodis apostolicis.

Non sufficit hanc formationem singulis tantum impertire, sed modus quidam magis organisatus adhibendus est ad hunc finem ordinate et constanter obtinendum.

Unde concludes : Congregatione opus esse ad apostolatum nostrum melius extendendum, evolvendum, perficiendum sub B. V. M. tutela.

De apostolatu preli

(3 ia et ultima pars)

III

Vidimus apostolatus huius necessitatem ac momentum ; vidimus modos, quibus promovere hunc apostolatum quilibet Catholicus et Sodalis possit.

Restat, ut de modo pauca dicamus, apostolatum hunc *funditus magis ac radicitus* exercendi.

Modus altior huius apostolatus. Ii igitur, qui prelum catholicum non solum gregariorum militum more adiuvare, sed proprie in se ipso condere et stabilire volunt (ut sunt Sodales classium cultarum, viri imprimis), animum advertant oportet ad *ipsa opera atque institutiones preli catholici aut fundanda aut evolvenda.*

Si enim non minutim tantum et levi apice rem moliri, sed magnum incrementum rei catholicae per prelum addere volumus, praeter minora ista auxilia (de quibus supra diximus) curandum inprimis est, ut ipsum prelum catholicum bene constituatur et evolvatur, seu ut bona scripta in magna copia, bene composita et pretio quam minimo vendenda prodeant, neque excusatio afferri possit, ephemeridas librosque catholicos minoris valoris esse, difficilius inveniri, cariusque vendi, quam adversarios.

Nisi enim prelum nostrum ipso suo valore interno, iucunditate et varietate materiae tractatae, agilitate, diffusione universali sese commendet atque in hominum attentionem quodammodo insinuet, nunquam e modesto piorum lectorum circulo egredietur, nunquam ad opinionem vere publicam formandam attinget. Atqui non agitur de piis tantum diariis, quae fortasse male scripta, somnolenter composita, nuncios taediosos seu antiquatos offerentia, vix a sacerdotibus et quibusdam devotis familiis legantur, verum agitur de organis, quae omnes, aut certe plurimos lectores attrahant, eorum aestimationem erga se excitent, eos suis placitis imbuant, animosque paulatim ad modum de singulis rebus sentiendi, quem volumus, inducant.

Agitur de veritate propaganda et defendenda apud eos, qui illam aliter non accipiunt ; qui aridas et theoreticas deductiones non curant et ad quos perveniendi indirecta tantum via panditur : per ephemerides de quibusvis rebus lectu iucundis tractantes, eas tamen luce religionis christianae conspergentes.

Qui finis ut obtineatur, omnia molienda sunt, ut in singulis regionibus et civitatibus maioribus praeter libros et periodicos scientiae catholicae, religionis et devotionis, adsint sufficiente numero libri, scripta varia et ephemerides omne genus, bene redactae, iucundae ad legendum et utiles, rectae administratae et scite propagatae.

Rei difficultas. Neque officium Catholicorum circa hanc rem inter faciliora est numerandum. Habet enim *obstacula* preli nostri evolutio ingentia. Nobis namque *non omnia licent,* quae preli adversarii molitores impune exercent: passionum excitatio, sensuum delectatio, infrenata opinandi, iudicandi, accusandi, mentiendi, calumniandi libertas. Etiam *materiale* preli nostri *fundamentum* semper debilius erit fundamento financiario preli anticatholici; huic enim sustentando tota plutocratiae bancariae vis praesto est, nos vero singulos fere nummos emendicare laboriose cogimur ad prelum nostrum utcumque alendum. Praeterea adversarii nostri *iter nobis multum praeceperunt*, diuque, quasi soli in campo, et exercuerunt sese et loca omnia occupaverunt; quorum praegressum assequi ne viribus quidem aequis facile nobis licuerit. Tandem adversarii *multos habent socios*, qui nostro prelo ut plurimum inimici magis sunt: gubernia liberalia, operarios typographos, venditores et exportatores ephemeridum, qui maximam partem socialistae sunt atque libenter omnia tentant, ut nostri preli progressum, qua possunt fraudulentia, intercipiant.

Quibus omnibus evincitur: nisi nostri homines eximie prelum catholicum adornent, interius exteriusque evolvant et dextere diffundant, actum esse de nostri preli felici exitu. Acriore igitur studio nostri apostolatus labores augendi sunt, ut multis his incommodis feliciter obviam eatur et victoria tandem rei catholicae plena reportetur.

Quid igitur praestandum? Qua in re, ut apostolatus noster circa prelum catholicum ordinato more procedat, haec imprimis praestanda sunt:

I. *Formandi sunt boni scriptores et redactores catholici.* Summi enim momenti est, ut qui ephemerides nostras conscripturi sunt, ii et rerum scientia, et catholicae religionis cognitione intima et principiorum nostrorum ad quaestiones actuales applicatione, et scribendi elegantia, et rerum tractandarum varietate omnino praecellant. Atqui haec dona rarissima sunt, nec sine improbo labore evolvuntur aut perficiuntur. Quomodo reapse docere hominum dena milia audeat ille, quomodo praeceptorem, instructorem, magistrum, ducem et prophetam agat, qui multum non didicit ipse atque lectoribus vix est una lectione doctior? Quomodo religionem, mores, iura Ecclesiae invicte defendet, nisi arma apologetica gerere assidue didicerit? Quomodo merita Ecclesiae circa culturam, scientiam, litteras, artes, vitamque socialem digne extollet is, cui omnia ista fere terra incognita sunt?

Sed ubinam haec omnia hodie publice docentur aut discuntur? Vix responderi huic quaestioni potest. Penuria enim laboramus scholarum catholicarum, quae universalem istam mentis culturam catholicam alumnis suis procurent. Immo maxima pars iuvenum nostrorum, etiamsi Collegiis catholicis educatorum, altiori rerum scientia Universitatibus imbuitur, quae quidlibet magis sunt dicendae quam academiae culturae catholicae aut scholae modi cogitandi catholici. Unde etiam boni cultique Catholici, e. g. scriptores quoque et redactores nostri, saepissime quasi duplicem culturam in se tenent: catholicam quamdam, sed inferiore gradu, et profanam, superiore. Quae tamen duae eruditionis sphaerae minime sese in eorum mente complent aut compenetrant, sed quasi iuxtapositae et sibi alienae, immo aliquando adversae, miram quandam cogitationum confusionem et obscuritatem gignunt. Quid mirum, quod deinde quidquid etiam dicunt aut scribunt, huius confusionis et internae debilitatis sunt externa specimina?

Esset igitur insignis actionis palaestra pro apostolis laicis, imprimis Sodalibus vere cultis: *ad catholicam formationem mentis scriptorum data opera concurrere.* Fieri id potest institutis scholis aut cursibus vespertinis, quibus iuvenes talento scribendi praediti universaliore simul ac profundiore rerum catholicarum cognitione imbuantur a magistris insignibus, e. g. theologiae ac philosophiae christianae doctoribus; simul autem constanter exerceantur, duce aliquo bono catholico redactore, in arte scribendi, res bene exhibendi, disputandi, obiectiones antecatholicas refutandi, quidquid in eventibus quotidianis momentum catholicum habet, modo vere dextero extollendi etc. Alia via est: *consociare ipsos scriptores catholicos* eisque occasionem dare, ut inter se conventus agant et mutuis colloquiis, lucubrationibus et disputatione sese catholice excolere pergant; aliaque hoc genus.

II. Prelum catholicum, ut vere floreat, non solis scriptoribus aut redactoribus eget, sed etiam *administratoribus* aptis, qui fervore ac zelo catholico dexteritatem agendi iungant usumque mercatorium. Inutilis enim est vel optime scripta catholica ephemeris, si negligenter aut inscie administratur, propagatur, evolvitur, si ad multos lectores cotidie non pervenit. Qua in re opera nostra catholica, atque etiam prelum, saepe etiam parte redactionali aut intellectuali debiliora sese ostendunt. Multi ephemerides catholicas veluti quaedam opera misericordiae christianae aspiciunt, quae nonnisi eleemosynis perpetuo corrogatis spiritum et vitam misere ducant; neque intelligunt bona imprimis administratione illas difficultatibus superandis pares esse oportere. Quae si bona administratio non deficit, praeclaros fructus edi nostris quoque coeptis litterariis, exempla non pauca ostendunt. Verum non est exspectandum, donec administratores boni quasi pluvia e nubibus decidant, sed *formandi sunt* etiam hi, non minus ac scriptores, sicut vel

in Ordinibus religiosis praeter Sacerdotes magna cum cura formari solent coadiutores laici.

Sodales igitur nostri culti, qui id genus laborum administratoriorum bene callent, simili quodam modo, uti ad scriptores formandos, hac in re navare operam utiliter possunt, aut etiam se ipsos tali labori suscipiendo offerre.

III. Opus est praeterea prelo nostro *multorum cooperatione*, qui etsi non totos se laboribus preli dedant, tamen interdum sive bonos articulos scribendo, sive nuncios novos et informationes chronicas mittendo prelum nostrum adiuvent. Quae tamen res ut ex angusto individuoque cooperationis ambitu excedat et modo magis ordinato evolvatur, maiore organisatione indiget, maxime quod attinet ad nuncios et informationes colligendas. Agentiae enim (ut dicuntur) nunciorum ordinariae omnes fere anticatholicae sunt. Opus est igitur reti quodam *informatorum et correspondentium* seu agentia aliqua catholica, quae etsi non per telegraphiam aut telephonium, certe epistolarum commercio, facta et eventus actionis catholicae vel quidquid rem catholicam propius spectat, in unum congerat et ephemeridibus catholicis offerat; immo etiam ephemeridibus non catholicis, sed honestis. Nisi enim hoc fiat, ipsae ephemerides catholicae informationes ex turbatis fontibus haurire coguntur. Nec solum propriae gentis eventus ad rem catholicam spectantes bene scire oportet, sed etiam eventus maioris momenti rei catholicae totius orbis. Splendida secus documenta vitae catholicae oblivione teguntur, iniuriae crassae Ecclesiae illatae praetereuntur, inclyta exempla fidei et virtutis meritorumque Ecclesiae aut reticentur aut falsis detortisque lineis obumbrantur.

Nonne fervidi Catholici, atque inprimis Sodales nostri culti, prae ceteris huic malo remedia offerre poterunt? Nonne institui inter eos organisatio quaedam informationum catholicarum poterit ultro citroque mittendarum per totum catholicum orbem, unde agentia illa, de qua diximus, paratum sibi fundamentum inveniat?

Omitto reliqua, e. g. quomodo Sodales nostri ad typographias catholicas instituendas et evolvendas concurrere possint, vel ad coetus operariorum typographorum formandos. Ex adductis exemplis habes certe, Sodales nostros aliosque Catholicos litteris cultos multum conferre posse ad apostolatum preli felicius evehendum; nec solum communibus illis et facilioribus viis, quibus quilibet Catholicus pro modulo suo data occasione facere aliquid pro prelo catholico permittitur, sed etiam ita, ut ipsa preli catholici fundamenta firmentur et apostolatus huius utilissimi efficacia penitus promoveatur.

Quodsi Congregatio Mariana, virorum maxime et iuvenum cultiorum, in huius urgentissimi apostolatus stadio aliquid praeclari efficere valuerit, singulari certe documento ostendet, se etiam modernissimis Ecclesiae necessitudinibus fortiter obviam eundo parem esse et studiosam.

EPISTOLAE AD EDITOREM

R. P. Editor! Si in nostra Provincia Congregationes adeo e loco suo deciderunt, ut vix aliud sint nisi puellarum associationes, huius rei causa inter alias certe haec est, quod Nostris saepe neque in theologia, neque in tertia probatione momentum et natura Congregationis bene explicata fuerunt. Generatim videri potest damna satis emergere ex eo, quod sacerdotes futuri introducuntur utique in scientias theologicas abstractas, sed minus in scientiam *pastoralem practicam*, quam non absolvi theologia morali, luce clarius est. Hodie totus labor apostolicus hinc robur accipit, si bene quaeritur via ac ratio adaptandi veritatis praedicationem et animarum curam necessitatibus animarum, indoli et adiunctis temporum. Multi non norunt aliud programma actionis quam hesternum diem. Unica eorum regula est: "Sicut erat in principio, et nunc et semper et in saecula saeculorum". Non vident insufficientiam methodorum, non vident saepe apostolos ipsos aut destruere id quod aedificaverunt, aut permittere, ut alii destruant. Quam multum temporis et operae nostrae perit, quia laboramus utique, sed non semper ad finem. Facimus magnos passus sed extra viam. Saltem periculum istud saepe adest.

Sic in "operibus" variis et societatibus, quae ludi magis sunt, quam apostolatus. Distractiones, sport, excursiones, ludicra theatra praevalent. Congregatio Mariana "boxing matches" organisat et hac re exhauritur eius "activitas". Alii gaudent, si ad Communionem generalem menstruam multi accedunt; "quid ultra desiderari potest?" innocenter quaerunt. Certe non ideo, quod bona voluntas forte desit; sed quia methodis apostolatus (et praesertim Congregationi) melius cognoscendis nunquam attentio eorum se devovit. Non erant educati in hoc sensu. Putarunt se perfectos Operarios in messe dominica fore, si Secundam Secundae et Magistrum Sententiarum solum didicissent et discrimen inter *dagesh forte* et *dagesh lene* bene sibi notavissent. Oportet unum facere et aliud non omittere.

Quare nihil mihi utilius apparet et in labore Secretariatus Centralis iucundius, quam quod in studiis nostris Scholastici incipiunt Academiis aliisque modis de Congregatione melius edocerl. Huic rei, mea quidem opinione, omni conatu insistendum est.

D. (America) R. V. servus in X. A. B.

QUAESTIONES PRACTICAE

De Sectione missionaria. Nullum fugit utilitas et momentum Sectionis missionariae in Congregationibus. Neque enim tantum opus insigne est promovere missiones catholicas, quod opus ipse Pontifex Maximus, hac

in re nulli secundus, vehementissime urget et omnibus bonis Catholicis commendat; verum etiam ipsis Sodalibus egregio incitamento apostolici fervoris et ecclesiastici sensus esse solet talis ad missiones adiuvandas adlaboratio.

Quaeri nihilominus potest, utrum adeo urgenda sit atque promovenda missionum sustentandarum commendatio et pecuniarum hunc in finem collectio, ut inde Sodalitas in famam incurrat coetus cuiusdam collectorum et molestatorum, atque ipsos Sodales taedeat denique Congregationis, quippe quae ultimum nummum e sacculis hominum extrahat. Mihi quidem — quidam inquit — magis placent Sectiones, quae nihil habent commune cum pecunia, ut est e. gr. Sectio Eucharistica vel Catecheseos.

Respondemus: 1. Quamvis verum sit, rem pecuniariam in Congregatione nequaquam adeo praevalere oportere, ut molestiae sit causa vel impedimentum aedificationis, tamen non est adeo pertimescendam sacrificii cuiusvis pecuniarii tentamen, ut propterea a bonis et necessariis operibus apostolicis ignave resiliamus Immo inculcandum est, non esse verum regni Dei militem, qui aliquo aere se privari propter Ecclesiae causam formidet. Sed moderamine certe opus est, neque hominum benevolentia ultra virium fines tentanda.

2. Ceterum fallitur prorsus is, qui opus Sectionis missionariae pecuniis colligendis aut absolvi putet, aut etiam potissimum in eas dirigi. Quamvis enim pecunia ceteraque externa auxilia missionibus nostris vehementer sint necessaria, Catholicos profecto atque adeo Sodales nosse oportet, rem missionariam imprimis gratiae divinae auxilio niti atque a maiore vel minore gratiae gradu plus efficacitatis in animabus convertendis dependere, quam a nummis et divitiis. Quare primus finis missionariae Sectionis in Congregatione is esto, ut concepto gentes convertendi vivo desiderio *orationes fundantur fervidae, sacrae Communiones offerantur, parvaque quotidianae vitae sacrificia immolentur* ad gratiarum imbrem in siccas segetes deprecandum.

Verum etiam ad auxilia externa missionibus nostris suscitanda non una via est pecuniarum collectio. Peritissimus enim quisque causae missionariae propagator affirmat, non adeo pecuniam petendam esse, quam attentionem excitandam hominum quam plurimorum erga rem missionariam; qua attentione universim excitata omnia alia facile obtinebuntur. Sic piissima illa Sodalitatis S. Petri Claver fundatrix et missionum Africae zelatrix, Comitissa M. Th. *Ledóchowska* dicere erat solita: Nequaquam opus esse, ut hominibus statim eleemosynas pro missionibus dandas esse obtrudamus et sic eos a nobis et missionibus absterreamus, immo melius esse de pecunia initio ne loqui quidem; ubi enim primum attentionem et amorem hominum pro missionibus excitaverimus, eos sponte sua bursas aperturos esse, et pecuniam confluxuram.

Quare Sectiones nostrae missionariae id sibi praeprimis sapientissime proponent, ut omni qua possunt ope *cognitionem missionum et amorem* animis inserant. Ignoti enim nulla cupido. Quot homines, immo etiam Sodales vivunt, qui nihil fere de missionibus et fidei propagandae operibus sciant, quique uno articulo lecto, una imagine spectata, uno specimine statistico percepto vehementer compungantur et ad vias quaerendas missionum adiuvandarum commoveantur! Est igitur praeclarum apostolatus genus, quam plurimos imbuere missionum notitia, inflammare amore et iuvandi desiderio.

Quonam igitur pacto ad hunc finem Sectioni missionariae adlaborandum sit, facile est invenire:

Primo: ipsi socii Sectionis libros et folia de missionibus tractantia diligenter lectitent, atque ea, quae legerint, inter se assidue discutiant, ut condicionis fidei propagandae et rerum missionariarum eximii cognitores fiant.

Secundo: exerceant sese in bene disserendo de missionibus, elucubrationes faciles componendo et praelegendo, imagines proiectitias explicando, sese reliquosque Sodales ad diligenter orandum et laborandum pro missionibus exhortando etc.

Tertio: instituant aliquando magis publicas solemnitates ad spargendam cognitionem et amorem missionum, e. g. theatra, academias, praelectiones, vivas imagines, et ita porro.

Quarto: adiuvent Parochum vel Directorem in instituendo devotiones propagativas missionum, vel uti dicitur in organisandis *Dominicis missionum.* (Programma talis Dominicae esse potest: mane Communio generalis, maxime puerorum, pro conversione mundi infidelis; ante vel post meridiem devotio solemnis cum concione de re missionaria: postea academia vel festivitas extra templum, semper tamen cum programmate serio, ut rerum in hac materia periti omnino suadent).

Quinto: instruant parvam bibliothecam missionariam, et subscribant aliquibus periodicis id genus, atque haec scripta mutuo commodent tam ipsis Sodalibus quam aliis.

Sexto: stabiliant in loco ubi degunt vel etiam alibi in regione sua Opera missionum, quae dicuntur *Papalia:* Opus Propagationis Fidei, Opus S. Infantiae et Opus S. Petri pro Clero indigena educando. Quae opera prae ceteris ubique instituenda et evolvenda esse, ipsa S. Sedes iterato edixit. Huc tandem pertinet certe pecuniae collectio vel etiam signorum postalium similiumque rerum congestio et venditio pro missionibus.

Quodsi aliquo loco opera ista Papalia iam introducta sunt, Sectiones nostrae missionariae ad ea plenius evolvenda libentissime suam operam navabunt.

Sunt certe alia praeterea, quae Sectiones istae cum fructu suscipere possint; neque sola profecto pecunia colligenda occupari sunt dicendae, uti exemplis adductis ostenditur.

Sodales "rebelles". *Exponit nobis Pater hunc casum:* "Triginta fere iuvenes Congregationis nostrae, rebelles contra Superiorum ordinationes, e Sodalitate cum scandalo publico egressi sunt, id dictitantes, se alteram Sodalitatem fundaturos cum praeiudicio nostrae. Per tres menses nihil obtinuerunt. Nunc tamen videntur Sacerdotem quemdam saecularem invenisse, qui eos acceptaret. Velim igitur scire, *num hi rebelles aggregari possint ad Primam Primariam* et *num Sodalis ex una Congregatione expulsus recipi possit in aliam?*".

Respondemus: Ius Congregationem erigendi extra nostra saepta pertinet ad Episcopum. Frustra igitur ii iuvenes turgidi inveniunt Sacerdotem, qui ipsis novam Congregationem condere promptus sit, nisi hanc novam

Congregationem Episcopus canonice erigat. Exponendus ergo est casus Episcopo, praesertim si scandalum publicum intercesserit, ut videat, num in his adiunctis Congregationem illam erigendam censeat.

Quodsi Episcopus nihilominus alteram illam Congregationem approbet et erigat, nos nihil contra id facere possumus. Episcopus enim iure suo utitur. Neque facile Romae aggregatio denegari potest Congregationi ab Episcopo legitime erectae. Directori vero ab Episcopo nominato ius competit in suam Congregationem admittendi, quoscumque ipse ad id idoneos iudicaverit, stricte loquendo etiam tales, qui ex alia Congregatione sive sponte egressi sint, sive dimissi, sive etiam eiecti.

Haec de *iure*. *Caritas* tamen et *prudentia* fortasse vias invenient componendi res, si fieri potest, amicaliter. Saepe enim impetuosi illi iuvenum ardores suavitate magis quam rigore leniuntur. Atque — abstractione facta a casu concreto, quem nos propius non cognoscimus — *generatim* dici potest, in Congregatione bene gubernata rebellionem talem, satis facile evitari posse. Potest etiam Director forte nimia rigiditate Sodales a se arcere. Consultationes bene praeparatae vix unquam viam non invenient, qua ipsi Sodales suaviter adducantur et sese adducant ad sentiendum et acceptandum id, quod Director et Superiores volunt. Quare praeter strictam iustitiam suavitas quoque in Congregatione regenda consulenda est.

CHRONICA

Quomodo Sodales iuvenes doctrinam christianam spargere possint.

Manila, 29 Aprilis 1925

Sodales studiosi Athenaei nostri Manilensis semper excelluerunt zelo propagandae doctrinae christianae, sed ultimis annis adeo infervuit eorum ardor, ut vix credam eorum zelo facile par inveniri in Collegiis nostris sive Europaeis, sive Americanis. Sexaginta enim fere iuvenes qualibet die Dominica in summo calore horae pomeridianae exeunt in varias partes urbis, pueros religionem docturi; quae res ingenuam animi nobilitatem iuvenum horum Philippinorum demonstrat.

Hoc tamen anno novum atque ad hunc diem inauditum gradum facere desideravimus, plenoque effectu. Sicut ad diem Christi natalem praeparandum magnam pecuniam pro pauperibus collegimus, edicto principio: tum recte dari eleemosynam, cum vere teipsnm ea prives; sic nunc convocavimus iuvenes nostros et sic eos allocuti sumus: " Vos nunc bene instructi estis in religione vestra; cum igitur nunc vacationum tempore ad vestra oppida secesseritis, curate ipsi, ne parvuli religiosa instructione careant. Nonaginta per centum ex ipsis paganorum more sine religiosa educatione adolescunt, nisi vos eorum misereat". Generosi autem iuvenes invitationi praeter exspectationem responderunt.

Cum vacationes apud nos medio mense Martii incipiant, utpote Sectionis Catecheticae Congregationis moderator, iam a mense Februario coeperam cum Sodalibus discutere agendarum rerum rationem. Hi Sodales iam a triennio hac in re mecum laborant. Alii difficultates variarum provinciarum in his Insulis explicabant, alii modos difficultatum solvendarum suggerebant. Tandem consilium aliquod generale actionis suscipiendae acceptavimus.

Adveniente 1 Martii vela solvimus. Omnes studiosos nostros convocavimus ad " comitia ". Director Sectionis Catecheticae et duo socii primores eiusdem Sectionis protulerunt consilium instituendae " *Ligae Instructionis catecheticae Athenaei* ", cui finis esset instruere in religione pueros diversorum oppidorum per studentes Athenaei tempore vacationum proximarum. Tum P. *Morning*, Decanus Falcultatis, Patrisque Rectoris absentis substitutus, placere sibi consilium edixit. " Revera, inquit, messis multa est, operarii vero pauci. Si vos, adolescentes mei, felices vacationes obire desideratis, huic Ligae associamini! "

Deinde socios novos operi coepto adnectere conati sumus. In singulis classibus aliquis veteranorum Catechistarum sermonem ad iuvenes dixit eosque tum verbo, tum distributo programmate typis impresso, darent nomen Ligae, exhortatus est. Tanta mox effervuit sancta excitatio, ut ad officium Congregationis accedentes et nomen suum inter Catechistas voluntarios inseri cupientes vix excipere omnes potuerimus. Carta geographica Insularum Philippinarum exposita erat loco omnibus visibili, cum signis occupationis quasi militaris, in qua quotidie cernebatur novorum progressuum densitas, notatis nimirum locis, in quibus catechesin adornare aliquis suscepisset. Singulae classes Athenaei singulis coloribus signa picta habebunt. Certatim classes sua signa promovebant, nec longa erat mora, donec *80 vexilla totidem oppida occupata* a Liga Instructionis Catholicae Athenaei Manilensis monstrarint.

Sed quid prodest enthusiasmum iuvenilem excitasse, nisi eum constanter arsurum stabilieris? Neque enim facile est adolescentibus negotium: vacationem suam in id sacrificare, ut alios pietatem doceant. Inconstantia humana talem laborem etiam iis vix supportandam reddere solet, qui in ipsa urbe degentes Patrum nostrorum continuis adhortamentis consiliisque iuvantur. Quanto magis timendum erat, ut in opere coepto perseveraturi essent ii, quos longorum itinerum intercapedo a consuetis spiritualibus Directoribus arceret! *Hic Rhodus, hic salta*! Quid, si non tantum adiutorem habiturus est strenuus iuvenis nullum, sed contra saepe multos derisores! Tanta erat rei difficultas, ut Directorem ipsum eam recogitantem animus fere defecit. Nimis ideale erat propositum. Sed etiam nimis magna animarum hac in terra miseria, ita ut in extremis extrema tentanda apparerent.

Audacter igitur ad exsequenda consilia gradum fecimus. Neque improvise, sed cautelis omne genus praemissis. Organisata omnia usque ad res minutissimas. Ne humeri nimio onere gravarentur, campos laboris in diversas classes dispescendas putavimus. Sex enim genera centrorum exhibuimus, cuilibet licentia data, ad quamnam classium accedere vellet. Erant enim centra:

a) *valde magna:* in *templis*, cum 50-200 pueris,

b) *magna*, in " capilla " seu " visita " (*sacellis*), cum 50-100 pueris,

c) *magna* in *domibus privatis*, cum 50-100 pueris,

d) *parva* in domibus privatis, cum 10-50 pueris,

e) instructio puerorum *cognatorum vel servorum* suae domus, cum 5-10 pueris,

f) instructio puerorum in *praedio aliquo* (" aparceros ", " hacienda "), cum 5-10 pueris.

Data sunt consilia pro quolibet genere, quomodo scholae catechisticae in populo publicandae essent, quomodo pueri alliciendi, quomodo schola aperienda et finienda. Omnibus inculcatum est, ut sese Parochis reverenter submitterent.

Maxima difficultas erat carentia usus et experientiae in novis his catecheseos magistris. Quare schedulis multiplicatis principales, a quibus sibi caverent, defectus Catechetarum tironum exhibebantur et distribuebantur, modusque est indicatus, quo defectus isti vitarentur. Puncta quoque principalia doctrinae explicandae tam dogmaticae, quam moralis brevi collecta. Omnia ista approbante Archiepiscopo Manilensi facta sunt.

Alia difficultas sincere iuvenibus exposita est. " Ecce, amici, — diximus — timendum est, ne difficultatibus obortis animum amittatis. Quare promissionem scriptam nomine vestro signetis, cui deesse vos ipsos pigeat ". Promissionis vero paradigma hoc erat:

" Ego promitto proximo feriarum tempore serio me tentaturum, ut 5 vel 10 pueros ad primam s. Communionem praeparem.

Si bene mihi res evenerint, promitto saltem ter me relationem missurum ad Ligam Instructionis Catholicae Athenaei, scl. 12 et 26 Aprilis et 10 Maii.

Si male res acciderint, promitto me saltem semel relaturum esse et causas infortuni indicaturum.

Nomen: ..... *Classis:* ..... *Habitatio:* ..... ".

Fere omnes promissioni subscripserunt. Res non erat nimis difficilis: nam " serium tentamen " revera quivis facere potuit.

Praeterea Director omnes et singulos e 200 iuvenibus, qui subscripserant, ad se solos accersivit et cum eis aliquando usque ad integram horam collocutus est, ut singulos ad bene laborandum in variis adiunctis et difficultatibus localibus praepararet. Neque incassum hic labor intercessit, nam serium quisque apostolatum aggressuri erant, atque a primo hoc tentamine multa dependebant.

Neque spem nostram aut exspectationem eventus fefellerunt. Iam 2 hebdomades effluxerunt a die, quo iuvenes nostri e Collegio evolaverunt. Nondum plenam imaginem operis facti exhibere possumus, sed iam ea, quae hactenus ad nos perlata sunt, multam spem gaudiumque faciunt. Elapsa hebdomade cotidie circiter 7 relationes ad nos pervenerunt. Primae relationes de initiis tantum factis rationem reddunt. Posteriores iam magis completae sunt. Maximus numerus puerorum ad catechesin audiendam collectorum adhuc est in aliquo loco: *287;* alio quodam loco: *198*, iterum alio *150*. Hic ultimus admirabilem fructum obtinuit: *bis cotidie* scholam catecheseos habet, quae semper *ultra duas horas prolongatur*, ipsis pueris hoc petentibus. Consolationem singularem attulit nobis epistola parvi cuiusdam discipuli classis sextae ex quadam insula meridionali, qui laetus nunciat, se iam ad 15 " pupillos " habere. Alii annunciant, se ad pueros alliciendos simul *ludos sportivos* organisasse, optimo eventu.

Definitivam relationem ad finem demum vacationum poterimus facere, sed iam ex initiis certe multum sperare licet.

Addere liceat, exemplo Athenaei nostri iam alios quoque ad simile consilium capiendum inductos esse. P. McNulty, Director dioecesanus instructionis catecheticae, in suis scholarum visitationibus alios quoque ad exemplum istud imitandum exhortatus est et obtinuit, ut iam fere 30 alia centra similis actionis constituta sint. Etiam ipsa " Catholic Truth Society " in Iloilo (Visayas) hoc exemplo incitata ad similem actionem inter viros et mulieres sibi sociatos instituendam sese accinxit.

Verum, ne pennis peregrinis nosmet ornemus, publice nobis fatendum est, totius consilii auctorem proprium esse P. Ioannes M. *Lyons* S. I. in Chicago, cuius splendidum " Catholic Instruction League " nobis in adornandis rei particulis incitamento erant et specimini. Nec timemus illum nobis irasci ob " plagium " factum, imo scimus eum gavisurum nobiscum, quod catechetica instructio tam laetos gressus facit in Insulis his, quae tantopere ea indigent!

Georgius J. Willmann S. I.

TELEPHONIUM EDITORIS

P. X. P. Apostolatum preli, de quo nunc peculiari serie articulorum egimus, Sodalibus evolvere et inculcare, quaeso, ne omittamus. Sodales nostri debent primi esse inter *propagatores et zelatores boni preli,* maxime periodicorum, quae a NN. ipsis eduntur. Iam arduo labore in illis periodicis conscribendis desudamus; nec tamen ea, quae scripsimus, semper bene divulgari curamus ac diffundere novimus. Quantopere numerus subscriptorum ephemeridum nostrarum augeretur, si singulae Sodalitates singulique Sodales ad sedulo propagandas ephemerides nostras adigerentur!

Inprimis apostolatum hunc preli exerceant Sodales nostri ipsa *scripta et periodicos Congregationis* evulgando et propagando; hac enim ratione et cognitio Congregationis et aestimatio et uniformitas inter varias Congregationes foventur. In aliquibus regionibus fere singulae Congregationes suas ephemerides etsi modestissimas edunt. Quae praxis habet commoda quaedam, sed etiam incommoda; curandum certe est, ne propter minimas illas ephemeridulas periodici centrales sodalitii illius nationis negligantur. Melius est habere unam ephemeridem sodalitiam pro tota regione, bene redactam et propagatam, quam chartulas innumeras edere, quae nec redigi bene nec vivere secure possint.

LIBRI NOVI

Ioh. Kettenmeyer S. I.: **Petrus Canisius und die Mar. Kongregationen.** Verlag " Fahne Mariens ". Wien IX 1, 1925.

Zprávy Mar. Kongregácie Nepsokorneného Pocatia v ústate Trnavskych Ursulínok 1924 – 1925. Trnava, 1925.

Editor: *Adalbertus Bangha S. I.*
Superiorum permissu.

Romae - Ex Typographia Campitelli - Via Orazio Coclite, 50-A